

**Disputatio medica inauguralis, quaedam de vestitu laneo, tradens : quam  
annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D.  
Gulielmi Robertson, S.S.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : nec non  
amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis  
medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus  
et privilegiis rite et legitime consequendis, eruditorum examini subjicit /  
Joannes H. Gibbons, M.B. Pennsylvaniensis, Societatis Physic. Americ.  
Praeses annuus. Nec non Societatis Reg. Med. Edin. Sodalis.**

### **Contributors**

Gibbons, Joannes Hannum.  
University of Glasgow. Library

### **Publication/Creation**

Edinburgh, 1786.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/g5f4cgn4>

### **Provider**

University of Glasgow

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

D I S P U T A T I O M E D I C A  
I N A U G U R A L I S ,  
Q U Ä D A M D E  
V E S T I T U L A N E O ,  
T R A D E N S .

Q U A M ,  
A N N U E N T E S U M M O N U M I N E ,  
E x A u c t o r i t a t e R e v e r e n d i a d m o d u m V i r i ,

D. G U L I E L M I R O B E R T S O N , S. S. T. P.

A C A D E M I Æ E D I N B U R G E N Æ P rae fecti ;

N E C N O N

A m p l i s s i m i S E N A T U S A C A D E M I C I c o n s e n s u ,  
E t n o b i l i s s i m a e F A C U L T A T I S M E D I C Æ d e c r e t o ,

P R O G R A D U D O C T O R I S ,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S E T P R I V I L E G I I S

R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ;

E r u d i t o r u m e x a m i n i s u b j i c i t

J O A N N E S H. G I B B O N S . M. B.

P E N N S Y L V A N I E N S I S ,

S o c i e t a t i s P h y s i c . A m e r i c . P rae fes a n n u u s .

N e c n o n

S o c i e t a t i s R e g . M e d . E d i n . S o d a l i s .

Quid merita e stis, oves, placidum pecus, inque tuendos  
Natum homines ? - - - - O V I D .

Pridie Idus Septembri s, H. LQ. S.

E D I N B U R G I :

A p u d B A L F O U R e t S M E L L I E ,  
A c a d e m i a e T y p o g r a p h o s .

M,DCC,LXXXVI.



Viro magno

JOANNI DICKINSON,

ARMIGERO,

L. L. D.

Reipublicae Pennsylvaniensi nuper praefecto,

Ob egregia ejus de patria sua promerita,

Cujus jura pariter et libertatem,

Tam domi quam militiae,

Facundia defendit,

Virtute propugnavit,

nec minus,

Ob morum probitatem,

*Quem proba et libera civitas*

Ad se regendos deligit,

Digno:



Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b24928720>

item,

Amico suo optimo, et carissimo,

J O A N N I T A B B,

A R M I G E R O,

In agro Ameliensi, in Virginia,

Viro

Humanitate et probitate nulli

Secundo,

Ob summam ejus in se,

Minus adhuc notum,

Humanitatem,

Et plurima et maxima beneficia deinde colata,

Veram,

Denique,

Adversus se

Paternam curam :



Nec non,  
Viro dilectissimo  
**JOANNI BANISTER,**  
**ARMIGERO,**

A Battersea, prope Petropolin,

In Virginia,

Viro summo,

Civi optimo,

Cujus in hospites benignitas,

In amicos bonitas,

In omnes morum suavitas,

Summum omnium amorem

Conciliarunt;

Hanc disputationem Medicam inauguralem,

Suae tantorum virorum reverentiae,

Grati animi, et aestimationis

Testimonium,

Sacrum esse voluit

**JOANNES HANNUM GIBBONS.**

Dr Jaffray with his  
compliments from  
his fellow Candidate  
H Gibbons

D I S P U T A T I O M E D I C A,

I N A U G U R A L I S,

Q U A E D A M

D E

V E S T I T U L A N E O,

T R A D E N S.

**H**OMO imbecillus atque inops, praeceteris animalibus, in mundum venit: Tam frigoris quam famis impatiens, vel hanc extinguere, vel illud defendere nescit, nec quidem, si sciret, valet. Qua ratione, diu parentum solenti et assidua nititur cura, qui, aetati ejus victum praecipue convenientem ministrant, corpusque nudum adhuc, vestibus, aliis animalibus disreptis, fovent. Jam undique illum aggrediuntur morbi, vitalem auram, simul fere ac haustam, expiraturum;

A

quorum

quorum omnium nullus est, quo magis periclitatur,  
quam iis quos frigus edere solet.

Eidem, calor, nascenti, crescenti, et vigenti, necessarius,  
vires et fulcit et auget; qui, cum ad quendam gradum  
diminutus est, subsunt languor et torpor; si magis us-  
que diminuitur, mors certa sequitur.

Caloris vero quidam gradus est, in quo omnia ani-  
malia, muneribus omnibus suis, jucundissime et expedi-  
tissime funguntur. Qui gradus, in diversis regio-  
nibus, diversus, jucundus dehinc caloris gradus nomi-  
nabitur.

In frigidioribus locis, inter gradum XLVtum et  
Lmum Thermomet. Fahrenheit. gratissimus, in tempe-  
ratis, idem altior erit, ut inter LVtum. et LXmum,  
dum in ardentibus plagis, etiam altior, in LXVto, aut  
LXXmo, ponitur.

Diversa animalia, diversos caloris gradus, et fere  
quodque genus gradum sibi proprium, postulant. Sic  
humanum

humanum genus in LXIII<sup>itio</sup> caloris gradu, ursus et vulpes in Lmo, leo et simia in LXXmo, omnibus muneribus jucundissime funguntur.

Perfectiora omnia, ut homo et quadrupedes, qui validas caloris gignendi facultates habent, muneribus suis, in caloris gradu multo infra sui corporis gradum, optime funguntur; quae quidem, convenienter naturae, in calore gignendo, perpetuo versari videntur \*.

Calor, non modo vitam et vigorem, omnibus animalibus et herbis, praebet, sed etiam elementorum formae necessarius est.

Campi nunc gelu rigent, nunc nive horrent, nunc floribus herbisque vestiuntur ridentque. Fluvii nunc glacie consistunt, nunc per terras delabuntur. Nunc oceano vapores exoriuntur, ad nubes formandas, quae, modo in gratis imbribus, modo in horridis grandinibus, descendunt. Curvata nunc iris, nunc meteora mortali-

bus

\* Clar. J. Hunter, MS. Prael.

bus videntur, nunc tonitrua sonant, nunc fulmina, quae mortalium horrore percutiunt pectora, micant: Haec omnia, aut a majore aut minore caloris gradu, pendent.

Qui si abeffet, vitam animalia, fluiditatem aqua, vim refiliendi aér, amitterent, et tota natura rudis indigestaque moles fieret. Contra, si valde augeretur, fluidam formam solida corpora induerent, in vaporem aquae mutarentur, et omnia demum in primum ruerent chaos.

---

Ut ad proprium redeatur propositum, haud intellegitu difficile erit, nos, vestitus lanei usum, in ulla regione, ullave tempestate, ubi aëris calor circumambientis haud paulo calorem gratum superat, laudare nolle; quem, tantum ad amissim, quantum hactenus observatione comperiri potuit, supra statuimus.

Quando

Quando pannus laneus cuti admovetur, jucunde eam excitat; non affuetō vero, cuteve delicatiore praedito, pruritum facit, genitum corporis calorem, quippe qui parum eum transmittat, servat et accumulat: Atquē per frictionem, quam concitat, sphaera electrica fortasse (ut ingeniosus scriptor \* putat) circumdatur corpus. Totum genus nervosum leniter stimulat. Humores ad corporis superficiem, quod, p̄e omnibus, ad secundam valetudinem, necessarium est, elicit; materiam denique perspirabilem bene abforbet.

Commodum, quod lanea materia omnibus podagra laborantibus praebet, primam attentionem postulat. Qua, frugalis uxor gulosum maritum fovet, eique cruciatum arthriticum, nullis jam aliis auxiliis juvantibus, medicus hactenus reliquit, cui etiam aeger, remedio tam jucundo tutoque, ipse fidem habet.

Arthritis in calidioribus regionibus raro graffatur; sed maxime eos invadit, qui in frigidioribus vivunt,  
epulisque

\* Brydone, in his tour through Sicily, &c.

epulisque lautioribus indulgent, et vino aliisque liquoribus spirituosis ultra modum dediti sunt.

Causas vel symptomata hujus morbi plenius investigare, vel de variis medicorum sententiis differere, a proposito nostro alienum est. Neque amplius quicquam de morborum natura causisve, qui in hoc opusculo posthac memorabuntur, quam quod ad rem nostram elucidandam opus sit, indagandum nobis videtur, idque ob rationes fatis manifestas.

Morbus, de quo sermo erit, ex debilitate, et plerumque ejus generis quod indirectam appellamus, plane pendere videtur. Rem ita se habere, homines, quos maxime invadit, et effectus frigoris\*, famis, vigiliae nocturnae,

\* Saepe accidit, ut subita corporis refrigeratio paroxysmum arthriticum inferat; et multa exempla sunt, ubi frigus arthriticorum pedibus applicatum violentissimos ventriculi dolores excitavit; nec alia defunt, ubi tali imprudentia mors ipsa subito est inducta. Exempli posterioris generis cel. Professor Gregorius, in praelectionibus eximiis suis de theor. med. mentionem fecit.

nocturnae, veneris immodicae, omniumque potestatum debilitantium, nocivi, argumentum adferunt: Quod et prosper eventus stimulatricis curationis, nuper introductae \*, non solum in levando, sed etiam morbo omnino tollendo, supra fidem confirmat.

Felicem curationis stimulatricis exitum, quem ipse bis vidi, paucis referam. Medicus doctus ingeniosissimusque, peracto quasi curriculi vitae dimidio, penitus vero corpore fano, nisi quod podagrae tonicae, uti appellatur, jam opportunus erat, post fatigationem et inediā rursum, solitis symptomatibus, scil. magni pedis pollicis dolore et inflammatione, correptus est.

Quoniam antea usitatam medendi rationem sine fructu expertus erat, ad methodum longe aliam nunc decurrere statuit. Itaque (die morbi secundo) tinturae theb. phar. Eden. guttas XL, cum quodam dolorum violentissimorum levamine, cepit; eandem dosin tertia quaque hora, majore etiam cum fructu, iteravit, usquedum guttas ducentas sumpserat; quo tandem tempore morbus ex toto depulsus. Redcuntibus (die morbi 4to) levibus doloribus,

\* Vide Brun. clem. med.

doloribus, iterum ad opium, eodem prospero eventu, decursum est; quod una cum haustibus potus validi Anglice *toddy*, pro re nata exhibitis, morbum prorsus sustulit, qui postea, nisi multis mensibus lapsis, non repetivit.

Caeterum, cum mihi de opii virtute non satis certum esset, tentare statui, potusne validus, similiter ac opium, podagrae impetum depellere posset. Nec multo post occasio mihi oblata est. Vir robustus, qui secundam valetudinem confueverat habere, annos natus 45, symptomatibus podagrae tonicae corripiebatur. Illum mihi videre contigit (die tertio morbi) nullo adhuc remedio exhibito, magnus pedis pollex tumidus, inflammatus, adeo dolore vexabatur, ut eo solum tangere non posset. “An “salutem vellet recipere, querenti mihi respondet,” quo conflictabatur morbum salutem non recipere; se fere tamen, quicquid opem promitteret, id esse paratum accipere.

Potum igitur validum *toddy*, ex liquore fermentato *rum* dicto, confectum, dedi. Quo facto, unoquoque haustu sublevabantur dolores; idque facere perficit, usque dum adeo illi mitigarentur, ut intra tres horas mecum per cubiculum ambulare posset.

(Dic

(Die quarto morbi)

Dolores multum levabantur.

Ei potum validum iterum administravi; qui dolores penitus sustulit.

Notandum est, nulla ebrietatis symptomata, qualia inter ambulandum vacillatio, seu in sermone confusio, est, inducebantur.

(Die quinto morbi)

Dolores admodum leves erant.

Repetatur potus validus.

Habeat jusculti lauti ex carne confecti, adempto adipe, uncias decem.

(Die sexto morbi)

Nullus suberat dolor, praeter aliquam in magno pedis pollice rigiditatem.

Quantitas potus validi minuatur, jusculti augeatur.

(Die septimo morbi)

Nullus rediit dolor.

Pannum laneum adhibitum servare, potum validum paulatim minuere, et ad pristinam rationem vivendi gradatim redire, iusti.

(Die morbi vigesimo)

Podagra nulla, sex mensibus jam lapsis, repetit.

Nullus morbus sive acutus, sive chronicus, magis graftatur, aut frequentius mortem inducit, quam phthisis pulmonalis. Si operae pretium esset computationem inire, et, si tabulis mortuorum Londinenibus fidendum est, nequaquam difficile probare foret, hunc morbum, in magnae insula Britanniae, viginti et quinque millibus hominum quotannis lethalem evadere.

Efficacissima hactenus remedia frustra adhibita sunt, et tristis experientia iterum iterumque docuit, vix singulos e millenis, quos morbus invaserit, salutem suam demum recuperare. Quod que imprimis luctuosum est, tam dira lues, inter amabilissimos formosissimosque, ac sequioris praecipue sexus, praeceteris, saevit.

Quoniam igitur morbus sanatu difficilis est, noxae, quae illum faciunt, inter quas frigus praecipuum locum obtinet, summa cura fugiendae.

Veram rationem reddere omnium symptomatum  
quae

quae hypochondriasis comitantur, valde difficile erit. Ex totius autem corporis torpore, laßitudine, metu, et moestitia, una cum functionibus ventriculi et intestinorum turbatis, quae, in nausea, vomitu, ructu, ruminatione, cardialgia, interdum diarrhoea, sed alvi saepius tarditate, manifestantur ; ea omnia, malum, in debilitate, tam alibi corporis, quam prae caeteris in tubo alimentario positum esse, demonstant.

Inter omnes causas, quae hoc malum edunt, nullae magis frigore cum humore conjuncto valent. Manifestus profecto talis aëris effectus est, quoniam fibras musculares laxat, totum corpus debilitat, fluidorum ad corporis superficiem determinationem impedit, animumque hebetat \*.

## Humor

\* Effectus perspirationis impeditae nocens Sanctorio observatus fuit; nam in aphorismis suis staticis, " Hilaritatem," ait, " dum libera per " corporis superficiem perspiratio sit, in mente nasci; sed contra, gra- " vitatis in corpore sensum, et in animo moestitiam, perspiratione impe- " dita, percipi."

Humor enim in aëre solutus seu diffusus, ut hic illum calorem, quem omne animal aut abundantius aut malignus intus gignit, aptius deducat, efficit; hinc nimium caloris, et cito nimis, corpori adimitur.

Ad dyspepsiam sanandam (inter quam et morbum proxime relatum distinguere saepe perdifficile est,) vestitus laneus haud parum confert.

Catarrhus, cuius praecipuum symptomata tussis, in frigidioribus regionibus, et tempestate hiberna, frequentissimus est morbus. Idcirco non solum medici fere omnes, sed vulgus etiam, morbum a frigore oriri putavere. Sed de modo operandi ejus inter illos non convenit. Plurimi strenue contendunt, frigus catarrhum, perspirationem suppressendo, gignere; dum alii, et praecipue vir ingeniosus Jacobus Keill, de hoc dubitasse videntur. Nam, in *statica sua Britanniæ*, hunc aphorismum notabilem protulit:

“ Adiapneustia non est causa tussis:”

Et

Et procul dubio, perspiratio, nullo catarrho insequente, saepe suppressa est. Contra vero, frigus satis intensum, ad perspirationem supprimendam, totius rei causa esse nonnunquam videtur.

Altera vero opinio, et quae multis arridet, catarrhum nunquam frigore nasci; caloris autem, aliorumque stimulorum, effectum esse aequa contendit.

Levamen, quod, vestitus laneus, rheumatismo, arthrodynia, paralyfi diu perstante, laborantibus, praebet, omnibus bene notum est.

In colica quoque, quae a frigore saepe oritur \*, maxime prodest:

Nec minus in dysenteria, praesertim in statu morbi convalecente, quo minimum frigoris saepe morbum revocat.

Ad

\* Vid. De Haen Rat. Med. Vol. 2.

Ad diarrhoeam sanandam, indusium laneum inter efficacissima remedia non immerito habendum est.

Multum, in asthmate, diabete †, et melancholia, levamen, determinatione ad corporis superficiem affidua conservata, per idem saepe paritur.

In morbo, cum dedecore humani generis, iraque decorum, venereo, qui semper in frigidioribus regionibus violentissimus ac sanatu difficillimus, nunquam negligi debet, preacipue si laborans mercurii sub imperio fit.

Gonorrhoeae curatio, in proiectiore illius stadio multum expedita, ac dolores levati, penem testiculosque panno laneo, more suspensorii, circumdando.

Subita, levium inflammatorium faucium affectuum, quae, in tempestate hiberna, saepe occurunt, curatio, materia lana admota, omnibus bene nota est.

Multi

† Cel. Doct. Duncan MS. prael.

Multi alii sunt morbi, e quibus idem commodum afferre potest. Sed de his vix verbis opus est. Per eandem, perspiratio justa ac aequabilis, visque caloris stimulatrix servantur, et omnia fere commoda, quae coeli mutatio praebet, acquiruntur.

Pannus laneus cuti proximus admoveri, saepeque mutari ac lavari, debet. Aptissima fasciarum materia idem est, in vulneribus ad suppurationem proclivibus, admovendarum, non modo ad idoneum calorem servandum, sed etiam pus ac humorem absorbendum.

“ Sudaturus denique, rejectis omnibus vestimentis et  
“ stragulis linteis, laneis solis se involvere debet ;”  
Greg. confsp. med. theor. § 1493.

Commodum quod vestitus laneus, non solum in fannandis aut levandis, sed etiam praecavendis, morbis, afferre potest, medentium attentionem fibi vindicat.

Omnibus

Omnibus cultis gentibus, corpora vestire, vel decoris gratia vel frigoris defendendi, mos est; quae idcirco vario vestitu, vel illi vel huic maxime conveniente, usae sunt.

Calor (ut supra relatum) stimulus corpori communis ac necessarius est: Qui omni in gradu, aut juste, aut nimis, aut parum, stimulat. Quando idem jucundus est, ad secundam valetudinem spectat. Verum, ubi multum superat, ut in torridis locis, nimis stimulat, et morbos, in nimio calore, aut in indirecta debilitate positos, creat; ubi multum deficit, ut in frigidis regionibus, aut tempestate hiberna, et in temperatis plagis, parum stimulat, et in deficiente calore (quod frigus dicitur) aut in directa debilitate, consistentes parit.

Quoniam igitur frigus, ultra certos fines, corpus semper debilitat, et ingenti malorum cohorti opportunum efficit; id, aut vestitu, aut igne, defendere necesse est. Ille eo magis necessarius est, quo hic minus saepe parabilis.

Qui

Qui luxui magis dediti sunt, pannum lineum velut optimum, qui cuti sit proximus, adhibuerunt. Cui autem confilio, me judice, pannus laneus multo melius accommodatur, ut qui, non corporis calorem tantum servet, sed etiam, quod per cutem exhalatur, id melius abforbeat. Omnes igitur eum adhibere monerem, qui, vel sponte, vel necessitate coacti, frigori objiciuntur, eoque magis, si cum eo conjungitur humor, sicut apud pisca-tores et nautas, &c. res fese habet.

Homius Professor clar. dicit \*, se observasse hydrops saepius occurrere in plagis ubi aëris humore gravatur; atque in Princ. Med. † hanc habet explicationem.

“ Omnium perniciosissima est nimia humiditas, quae  
 “ cuti et pulmoni externe applicata, per venas bibulas  
 “ intus assumpta, totique corpori interne applicata,  
 “ fibras laxat et debilitat, perspirationem minuit, et  
 “ humores nimis aquosos reddit. Hinc gravedo, tussis,  
 “ asthma, phthisis, hydrops, &c.”

C

Atqui,

\* Pracl. suis de mat. med.

† Lib. i. p. 20.

Atqui, an humor eo magis debilitet corpus, quod absorptus in sanguinis circuitum recipitur, an noceat, calorem corporis nimis cito tollendo, et ita cutis incitationem minuendo, perspirationique obstanto, et sic, quandam materiam noxiam, quae per cutis spiracula emitti debet, retinendo, nonnihil ambiguum esse videtur.

Frigus, ut antea dictum, non modo animalibus herbisque, sed etiam elementis, inimicum. Corpus recta semper, semperque pro magnitudine debilitat<sup>\*</sup>; et ille animantium vigor, in frigidioribus regionibus, non frigori, sed defensioni vestis, domus, ignis, motus sui, et nimio prohibito calori (quod pariter ac frigus debilitat) trituendus est. Ut vero nihil, in pluribus morbis in debilitate positis, frigore magis adhibetur, ita nihil cum majore damno, et saepe praesenti pernicie, potest adhiberi; ob quam causam cum cura fugiendum est: Utpote cum in omnibus, in debilitate sine recta sine indirecta, positis morbis, debilitans curatio vitanda sit. Nimio vino, exempli gratia, debilitatus, non frigidis

\* El. med. § cxxvii.

gida aquosave, sed potionē valida; crapula laborans,  
non tenui viētu, sed juscūlis laūtioribus ex carne confec-  
tis, medendus est.

Quoniam igitur frigus nunquam non corpus debili-  
tat, et eo facilius, quo, aliquis vel morbo, vel quavis  
alja causa, jam ante debilitatus sit, ita convalescentibus  
omnibus, nuper nuptis, helluonibusque, magnam utili-  
tatem vestitus laneus adfert.

Inter dormiendum, vel in torporis statu, omne ani-  
mal, minus sibi caloris, quam si vigilans negotiis in-  
cumberet, gignit. Quam ob causam, majore vestitu,  
omni corporis parte, in somno, quam vigilia, opus est.  
Hinc, apud cultum generosumque populum, pilco dor-  
mitorio, ex panno laneo factō, uti mos est. Et nullus  
dubito quin magnum inde ferant commodum, non ad  
capillos tantum, sed dentes etiam servandos.

Commodum, quod vestitus laneus, in frigidioribus  
regionibus, militibus, nautisque, praebet, omnis imperii

bene

bene ordinati et administrati attentione dignum, tam-  
et si ea senatoris potius quam medici forsan cura est.

Saepe fido militi accidit, ut, post longum molestum-  
que iter, defessos artus, somno, frigidam super terram,  
nullo amictu, committat; unde, copiosa perspiratione  
subito suppressa, magna oritur malorum cohors.

Idem, de interrito nauta, qui, diu jaectatus in alto,  
tempestate intermittente demum, amplexibus somni,  
in vestitu humido frigidoque se se committit, inscius  
quantum periculi talis incuria minetur, dicendum est.

Effectibus frigoris nocentibus obviam ire, et salutem  
viris tam utilibus praestare, magni habendum est. Ide-  
oque, ut unusquisque miles nautaque vestibus calidis,  
quales induſia, subligacula, tibialia lanea sunt, bene  
instruatur, monerem. Multa, hocce modo, et gravia  
mala, qualia, in castris febres, in classec scorbutus sunt,  
cavenda; propterea quod frigus omnes excitantes ho-  
rum morborum causas toto coelo superat.

Denique,

Denique, omnibus valde utilis idem erit, qui a terra, ubi calidum fuerat coelum, in alteram ubi gelidius id est, demigrarunt. Nemo, viribus sui corporis nimium fretus, levi amictu lineo utatur, ne, dira experientia doctus, valetudinem talibus coeli mutationibus perclitari, magis quam suspicatur, addiscere cogat, et dampno adfici fero saepe discat.

“ Neu retuli quicquam, nisi amicis, idque coactus.”

---

Jamque restat, ut grates sinceras, Praeceptoribus meis illustribus academiarum primum Pennsylvaniensis, Professoribus eximiis, et praecipue Gul. Shippen et Benj. Rush, dein Edinensis, venerando Cullen et celeberrimis Monro et Black, ob tot mihi tamque utilia praecepta tradita, habeam; item Thomae Parke, apud Philadelphienses medico, suae artis peritissimo, viro cultissimo, mihi carissimo, a quo medicinae rudimentis primo imbutus sum, propter ejus in me curam et amorem, triennali mei apud illum tyrocinii tempore, praefitum.

18. Dicitur ad ueritatem.

et in ipso dico tibi uillam obliuionis etiam possit  
libet idem mentis in positione membra membra  
membrorum in secessu omnia. Atque quodlibet de  
membris sib[us] ut indecens utrumque uerum  
erit et membra illorum ueritas membra membra



